IOSEPHVS TECTANDER CRACOVIENSIS ADAMO BRESINIO PHILOsophiæ Medicinæq; peritissimo, S. D.

ADEO iucunda est mihi tuæ suauissimæ consuetudinis recordatio, Adam eruditissime, ut quotiescunq; mecum reputo quibus auspicijs nostra mutua necessitudo initium cœperit, quóue pacto quasi gradibus quibusdam corroborata inter nos sit, dici non potest, quàm mihi uel hanc ob rem beatus felixq; esse uidear. Nam cum tu Patauij optimorum studiorum cohonestandorũ causa degeres, & in hoc omni cura incumberes, ut medicam facultatẽ, in qua apud nostrates iam à multis annis felicissimo successu enitueras, ad plenum exornares, uidebare mihi nihil tam studiose conari, quàm ut tui animi inclinationem, qua mirifice in me propendebas, aliquo egregio argumento aliquando declarares. Atqui etiamsi cum tecum adhuc agerem, fructus amicitiæ nostræ satis splendidos perceperim, tu tamen ne sic quidem conquiescendũ tibi putasti: uerum postquam iam Italia relicta Cracouiam, deo duce, redieras, nunquã non cessasti de me omnia amica & sentire & prædicare. Ego uero quia tuam tam insignem beneuolentiam hactenus nulla re compensare possem, nec idoneam aliquam occasionem rursus de te bene merendi inuenirem, uerererq; ne, si hæc omnino silentio præterirem, ingratitudinis nota meritò aspergerer, scriptis saltem me optimæ tuæ uoluntatis nõ immemorẽ, ostendere tibi in animũ induxi. Vt autẽ & cessatio ist hæc mea æquiorẽ locum apud te obtineret, inij rationem qua silentij damna non intempestiue resarcirẽ. Mitto itaq; ad te literas has, optimam in spem ueniens, tum per se pro iure amicitiæ nostræ, tum quod cum fœnore ueniunt, haud parui ponderis apud te futuras. Nam adferunt hæ secũ selectissimos doctissimorũ uirorũ flores, exquisitaq; ad arcendas morbi Gallici diras noxas alexipharmaca. Neq; enim quisquã est tam rudis, aut rerũ imperitus, qui ignoret, quàm uaria mala, ægritudo hæc mortalibus dederit, quamq; perniciose ac uirulẽter per innumeros populos, regiones ac urbes grassata fuerit, dum alij quidem ipsamet affectus malignitate conficiuntur, alij uero non minus cruciatuum magnitudine, quàm medicorum uecordium turba cõcidunt: ut interim taceam peritissimos quosq; uiros sæpenumero satis calamitosis successibus cum excetra hac depugnasse, ac non sine ingenti ægrorũ periculo, anteaquã certa huius mali medela inuẽta esset, ipsos quoq; periclitatos fuisse. Atqui nunc si quis præclarũ hoc opus, quod nos à grauissimis rei medicæ professoribus conscriptum, tua sub tutela in publicum emittimus, diligenter euoluerit, sine ulla dubitatione opitulari huic morbo exacte

poterit, ſibiq; ac cæteris ab eodem perinde præcauebit, atq; Vlyſſes olim ſeſe unà cum ſocijs ſuis μῶλυ Homerico aduerſus omnes Circes præſtigias præmuniuit. Cæterũ ſi qui erunt, qui fortè aliqui erunt, qui rerum dilucida diſquiſitione nõ contenti, uerborum ornatum in hac tractatione requirent, his non aliter reſponſum uolo, quàm ut illud audiant, quod primo Methodi Galenus aduerſus Theſſalũ ſcribens his uerbis profert: καὶ γὰρ εἰ σολοικίζων τὶς ὀνομάζοι τίποτε, πρόσγε τοῦ αὐτοῦ πράγματος ἐπιθήσει ὀλίγον τοῦ βλάβος. Quod latine ſic ſonat: Etenim ſi quis uel ſolœciſmũ cõmittens, alicui rei nomen indiderit, nihil id ad conſequendam rerum notitiam officere poteſt. Præterea uero quandoquidẽ compertum habeo te hæc ipſa opera, quæ nos denuò excudi curauimus, antea quoq; Venetijs publicata uidiſſe: ideo ne tibi noſtri hi conatus ſuperuacanei omnino uideantur, inprimis perpendas uelim, quod Veneta æditio tot mendis ſcatebat, ut uel primo obtutu Lectori quantumuis perito, in eruendis ſenſibus negotiũ non uulgare incumberet. Verum nos ſolidã nauauimus operã ut omnia caſtigata, & quantum eius fieri poterat emendata in lucem prodirent: id quod cuiuis euidenter patebit, qui præſentia hæc cum prioribus conferre non fuerit grauatus. Ad hæc quò æditio iſta nõ ſine acceſsione ad tuas manus perueniret, adiecimus eiuſdem argumenti Nicolai Maſſæ opus, quod & ipſum antea non ſine mendis circunferebatur. Vt autem operi huic prorſus nihil deeſſet quod ad perfectam medendi tam horrendi morbi rationem ſpectaret, addidimus etiam tractatum, quem Benedictus Victorius Fauentinus, uir ob eximiã eruditionem nunquam ſatis laudatus, nobis dictauerat. Proinde, Adam ornatiſsime, rem te digniſsimam feceris, ſi mea in te obſeruantia, mutuaq; noſtra conſuetudine prouocatus, his lucubrationibus te patronum ſis non grauatim exhibiturus, ac tua in relegendis ipſis alacritate, rei medicæ ſtudioſos ad amplectenda tantorum uirorum monimenta excitaturus.

Vale. Baſileæ, Idibus Martijs, ANNO
M. D. XXXVI.